

Digitaliseret af | Digitised by



Forfatter(e) | Author(s):

Titel | Title:

Christian

Palladis simulacrum ab ... Christiano Augusto,
Hærede Norwegiæ, Sleswici, Holsatiæ,
Stormariæ, Dithmarsiæq., Principe, Comite
in Oldenburgh & Delmenhorst in Regia et
Eqvæstri Sorana publica oratione memoriter
exhibitum d. XXI. Nov. M.DC.LVII.

Udgivet år og sted | Publication time and place: Soræ : literis Georgii Hantschenii, 1657

Fysiske størrelse | Physical extent:

[48] s.

DK

Materialet er fri af ophavsret. Du kan kopiere, ændre, distribuere eller fremføre værket, også til kommercielle formål, uden at bede om tilladelse.
Husk altid at kreditere ophavsmanden.

UK

The work is free of copyright. You can copy, change, distribute or present the work, even for commercial purposes, without asking for permission. Always remember to credit the author.






343 - 183



DET KONGELIGE BIBLIOTEK



130019000932



F. D.

PALLADIS SIMULACRUM

ab

ILLUSTRISSIMO PRINCIPE,

D.N.

CHRISTIANO
AUGUSTO,

Hærede Norwegiæ,

Sleswici, Holsatiæ, Stormariæ,

Dithmarsiæq; PRINCIPE,

Comite in Oldenburgh & Delmenhorst.

In.

Regiâ & Equestri

SORANA.

Publicâ oratione

memoriter exhibitum

Die XXI. Novembr.

A. O. R.

cl. I. C. LVII.

S O R A E ,

Literis Georgii Hantschenii, Acad. Typogr.

ERUDITUS
LATINIS SIMILACRUM
MUNIZANSIMO TERRICRIS
CHRISTIANO
AUGUSTO
HISPIENSIS
SOCIETATIS
DIPLOMATICAE
CATHOLICAE
LITERARIAE
DISCUSSIONIS
AC
TAVI



SERENISSIMO ac POTENTISSIMO
PRINCIPI ac DOMINO
D.N.
FRIDERICO
TERTIO,

Daniæ, Norwegiæ, Gothorum, Wan-
dalorumqve REGI. Sleswici, Holsatiæ, Stor-
mariaæ, Dithmarsiæqve Duci. Comiti in Olden-
burgh & Delmenhorst.

DOMINO CLEMENTISSIMO,
PATRUO GRATIOSISSIMO.

S.

DALLADI huic meæ, licet te-
nui & crassiori Minervâ depictæ,
FRIDERICE REX Serenissi-
sime, ut faveas ipse, favorisq, publici
viam Regiâ humanitate aperias,
facile, ut confido, poteris exorari. Fallerer profe-
cto, si illustrius alibi expectarem MARMOR, nisi
Tuæ Majestatis dextram, cui TANTI Numinis
inscriberetur MEMORIA. Præterquam enim quod
Te Regem literis & armis validum boni omnes ce-
lebrent, accedit insuper, quod Tui omnino munera
sint, quæcumque ad Te defero: Ita justissimô ipsius
nature ordine in mare redeunt fluvii, originemqve
repe-

repetunt, unde profluxere: Tuæ Majestatis bonitas
mihi mare, unde vel sexcenti in me benignitatis de-
lapsi sunt rivuli, imo flumina. Ignosces igitur liber-
tati, quam Tuam mihi munificentia fecit; Cujus fuit,
quod per biennium hactenus tam literis quam
armis in Illustri Tuâ SORANÆ liberalissime fuerim
imbutus: Cujus etiam porro erit, ut in omne, sive
Togæ sive sagi, negotium, favente Numine, felici-
ssime olim exurgam, ALIAQUE tum PALLADE
Tuæ Majestati ex votô me approbem. Inter ea
FRIDERICE POTENTISSIME, DEUS TE CUM
TUIS CONSERVET. PATRUE FAVENTISSIME,
DEUS TE SERVET. DEUS TE NOBIS DEDIT, DEUS
TE PERPETUET. TIBI IMPERIUM SECURUM
ROGAMUS. VIVAS FELICITER, FELICISSIME.
HOSTIUM TRIUMPHATOR, REBELLIUM DOMI-
TOR, MALE FIDORUM ULTOR. VINCAS, VA-
LEAS, FELIX IMPERES. PER TE QUIETA RE-
SPUBLICA, PER TE SIT SALVA. TUERE NOS,
TUERE TUOS. BENE TIBI COMMITTIMUS, QUOS
BENE AMAS, AMATOR TUORUM. BONUM IM-
PERIUM NULLA VIS LÆDAT, NULLA INJURIA
SUBRUAT. COELESTIS REX TERRENUM CU-
STODIAT. TE SALVO OMNES SECURI Erimus,
OMNES SALVI. TUA INCOLUMITAS NOSTRUM
VOTUM, ET VOTUM OMNIUM BONORUM.

Dabam SORÆ xi. Cal. Dec. A.C. cI. I. c. lvii.

Reg.º T.º M.º

Submissò ac devotissimò
animi affectu
in æternum
addictus.

CHRISTIANUS AUGUSTUS
HOLSAT. PRINC.



Generose Domine GEORGI ROSENKRANTZ,
Præses Academiæ Magnifice;
Seculi Tui, sexusque rarum orna-
mentum, Nobilissima Matro-
na, Domina BRIGITTA TOTT.
Nobilissime, Spectabilis, Reverende, Clarissi-
mique Viri. Vos in spem Patriæ geniti & e-
ducandi Nobilissimi Commilitones; Cæteri
præterea, quotquot adeftis, *qua literis qua ar-
mis* conspicui, Viri & Juvenes, Auditores &
Hospites omnes benevoli, gratissimi.

Mortalium animis additum planè, & quasi
innatum esse, ut altius quid spirent, & longius
progredi plerumque gestiant, quam par est,
ille sciebat egregiè, qui in Oraculi modum e-
didit, ut se ipsum quilibet cognosceret. Utinam
verò & ego virium mearum in præsentí
seriò recordatus, in tenuitatis meæ notitiam
melius descendissem, majori forsitan mode-
stiæ laude Vobis probarer. Quàm enim res
dubia est, & quantæ magnitudinis onus, quod
modò in me suscepi? Cathedram hanc scilicet
ascendi, & coronam vestram lectissimam in-

b gres-

gressus sum, ut PALLADEM vobis & PALLADIS
studia sisterem, ac ita quidem, ut Divæ hujus
meritis, quæ comparationem neutiquam ad-
mittunt, & Vestris præterea, ut eruditis, ita &
delicatissimis auribus satisfacerem. Utrum-
que certe molientis vires excedit longius ;
Qui neque facundiâ, neque ingeniô, in tanta
conamina satis aptô, valeo Vereor igitur,
Auditores, ne, dum ætas ista, quæ privatis vix
exercitiis apta, in publica se jam temerariè ni-
mis immittit, Apelleum istud, *ne futor ultra cre-
pidam*, audacię meæ prudentiorum aliquis op-
portunè opponat, & violatae me modestię
reum, non planè præter meritum, peragat.
Verum enim verò, cum primus veniæ gradus
esse credatur, agnoscere culpam, Fatebor in-
firmitatem ingenuè ; Fatebor rationem ho-
nesti decorive, Vestri itidem Favoris, qvô in
hunc locum me allexitis, improvidò mihi at-
que malè cauto imposuisse. Dum enim re-
ligioni ducebam, transacti hactenus, inter hæc
Musarum vireta, non inutiliter otii rationem
aliquando non reddere ; Ne vel optimi Regis
Favore frustra admissus viderer, vel Vestris
etiam, *Faventissime Praeses, Colendique Academice
Pates*, saepiusculè ad Academicum hocce ten-
tamen additis stimulis non morigerarer, sum-
psi tandem imprudens partes, qvas decorè fa-
tis

tis implere, ultra juvenilis pectoris vires aliquid
esse lubens nunc agnosco : Et cum partes has
deserere nunc, integrum amplius non sit, nec
insigni absque dedecore filere jam liceat,,
indubitata me animi fiducia tenet, Vos, quem
in hoc gloriolæ theatrum dicendique exerci-
tium Vestris consiliis animastis, auribus etiam
vultuque benevolis , dum PALLADIS vobis
IDEAM ET MINERVÆ DECORA breviter
propono, alacriorem, audacioremque reddi-
turos. Sic Favor Vester, quō juvenilem istius-
modi ætatem, inter hos dicendi discendique
conatus, nunquam non prosequi soletis, ora-
tionis meæ tenuitatem sufficienter supplebit.

Ne verò obscurior aliquis verborum sensus
animos Vestros in suspensiō teneat , *Auditores*
honoratissimi, effigiem ejus, priusquam progre-
diar longius, qualem illam prisorum fabula &
penicillus nobis exhibuit, accipite. Finge-
batur PALLAS de Cerebrō Jovis progenita Vi-
rago, Vultu virili & serenō, armata tota, & ga-
leā eleganter variegatā induta, humeros Ægi-
de tecta, *Unā manu hastam, alterā apertum susti-*
nens librum, ut sapientiæ simul & belli Dea exi-
stimateetur, cuius statuam, quam PALLADIUM
dicebant, basi quadratæ, quæ stabilitatis & fir-
mitatis figura est, imponebant, quæcunque ve-
rò vel excogitata optimè, vel peracta erant fe-
lici-

liciter, ad hanc disciplinarum & artium felicissimam Matrem referebant, & in eâ solâ conjugabant. Elegans omnino nec difficilis, ut mihi quidem videtur, fabule sensus, diligentiorique meditatione non indignus. Sic scilicet omnes hucusque Prudentes existimarunt, & adhuc dum existimantur; Non posse Rempublicam, nec totius orbis machinam, à casu, nisi armorum librorumque studiis fultam, florere; requirique, ut, qui salvam istam velit, hastam cum PALLADE tractet, galeam induat, & liberos, quamque inde addiscere licebit sapientiam, non negligatur.

Ac quidem *Auditores*, de literis artibusque liberalibus, quas PALLADIS liber nobis commendat, ut primô in limine paucissima dicam, miror omnino repertos olim & reperiri adhuc hodie non paucos, quorum ingenia durior quædam asperitas, ne dicam Barbaries, adeò ab omni ratione veri rective alienos reddidit, ut in Musarum Gratiarumve pernitiem Catilinariam propè conjurationem iniverint, & decretorum quasi bellum iis indixerint: Scilicet in vano suô inanique cerebellô nescio quæ sibi somnia fingunt, artesque has liberaliores, tanquam non modò non utiles publico bono, sed & noxias omnino, ex hominum commercio exulare jusserunt. Priscorum si revolvimus

vimus historias, non raros invenimus ita deli-
rantium cœtus ; Adsint Lacedæmonii, qui bel-
licis artibus licet adeò fuerint incliti, ut *teſte*
Justinō, vindices se libertatis Græciæ profi-
terentur, de Doctrinæ tamen contemptu glo-
riari faſtuosius, eumque inter non ultima vir-
tutis suæ documenta referre minime dubita-
verem. At non parum illis, si rectè ſentio, in-
terfuiſſet, ſi literarum, quarum Atheniensibus
gloriam adeo vitio vertebant, ſtudiores
paulò fuiffent : didicifſent utique impone-
re felicitati ſuæ frenos, tutiusque multo habe-
ri, conſervare quæ poſſederis, quam nova in-
ſuper & quidem in peregrinâ gente acquirere;
vičti enim ab Asiaticis, & quos antea per con-
temptum ſuperbius ſpreverant, Atheniensi-
bus, in Conone pariter atque Epaminonda di-
dicere, idem hostibus ſuis, *referente eodem Ju-*
ſtino, resumendæ potentiæ initium fuiffe qui
ſibi finis erat. Nec Gothi (unde origo no-
bis) feliciora experiebantur fata, dum literas
aliquando omnes ac momumenta veterum à
ſtirpe convellere conati ſunt, Reginæque ſuæ
filium ne quidem iſtitui, diutius voluerunt,
ſatis amplis doctoribus iſtructum eum jactan-
tes Majoribus ſuis ; Sed belluæ illi erant, *affir-*
mante Scaligerō, & nimiopere absurdī, quibus
meritò repondeas quod Hispaniarum Regi

c

olim

olim Alphonsus Arragonum Rex ; Bestiarum
has esse voces non hominum. Sed quid non
de Romanorum, non plebejis equidem, sed iis,
proh facinus ! dicam ? qui Imperatores, qui
decora erant & ornamenta sacerduli sui, Corio-
lanô & Mariô. Qui nisi literas superbius spre-
vissint, easque Doctoribus suis ad virtutem ni-
hil prodesse quicquam existimassent, quin po-
tius Musis nostris Gratiisque industriosius li-
taffsent, non certè tantô impetu ablati, foedum
adeo & turpem rebus suis exitum dedissent. ;
Idem Licinium Imperatorem error, an mavis
delirium ? incesserat, qui scientiam venenum
nominabat publicum, Philosophos vero Ora-
toresque Reipublicæ pestem : Pestis magis ipse
& abominatio orbis. Quis Caroli Galliarū Regis
historiam nescit ? Ex Patriô is tamen placitô
planè rudis quam infelicitate Regnis suis & quā
turpiter exciderit Cominæus fuse satis deplo-
rat. Felicior PALLAS nostra, quę excelsiori-
bus ingeniis & quibus

De meliori luto finxit praecordia Titan.

apertō, quem manibus tenet, librō, hoc est, o-
mni sapientiæ prudentiæque thesauro, feli-
cissimè præsidet. Adeat ergo meā quidem
sententiâ MINERVAM scrutetur PALLADIS
librum, quicunque aut vivere feliciter, aut a-
gere inter homines salutariter prudenterque
deside-

desiderat. Sic sine labore & absque tædiō reperiet, limpidissimos viventium aquarum rivulos, profundissimas divinæ & humanæ sapientiæ fodinas, ditissimasque venas, quibus nil nisi dulcissimi gratissimique fructus reconduntur. De cerebrō Jovis, ubi omnis sapientiæ sedes, prognatam PALLADEM finixerunt Poëtæ, ut actionum illam omnium, artiumque liberalium, Deam ac Principem constituerent; Egregiè profectò omnia, si mecum sentietis, Auditores, Divinum quid esse, & humanis viribus majus, ut iis optimè innutritus animus nunquam non cum Ulysse pertot bonæ menti minantia pericula innocenter & illæsus circumserret. Sic Martem, sic Venerem, aliosque Deorum gentilium à PALLADE victos & humi pro stratos ingeniosò quondam commentò *Homerus* eleganter descripsit; quicquid præterea vel inventione celebre, vel virtute illustre, aut factu nobile erat, soli adscripsit MINERVÆ. Nec privati modò hanc studiorum felicitatem agnovere sed Principes etiam & quibuscunque in publica concessus unquam est adytus. Utut enim vel illustris maximè fit Regum dignitas, & divinitas, quædam Principum munus; Vix tamen singulos reperias, quibus tantò non munere sed onere laudabiliter fungi & defungi licuerit, nisi saluta-

salutarium monitorum, Prudentiæque, ex studiis conquisitæ face, caliganti ceteroquin menti præluxerint. Scilicet ut vitis, tametsi arbor est omnium nobilissima, arundinum, nihilominus arborumve altarum eget sustentaculis: Ita Magnates & mortalium singuli, nisi meus me animus fallit, literarum operâ.

Qualis Poëtarum ille Cyclops amissô, oculô, talis mihi Princeps, aut qui Principi à consiliis, si lumen hoc frontis desit. Vedit id, quem totus Oriens victorem agnovit, Alexander, tanti enim is fecerat bonarum & laudissimarum literarū studia, ut Doctrinâ anteire alios, quam vel opibus, vel dignitate maluerit. Navem inter incertos fluctus non diriges absque ferrô quod siderites affricuit: Nec Republicam pariter, nisi hæc te afflaverit Diva. Sive enim negotiorum consideremus numerum absque numerô, sive periculorum tam à civibus quam incolis imminentium continuam varietatem, vix erit aliquis, opinor, tam impudenter effrons, qui nisi illâ, magistrâ, expediri ista singula probè posse existimet. Non causus heic modò eventusque rerum, sed ratio etiam causæque noscendæ erunt, eritque hoc salubre præ primis atque frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita in tueri; Ut inde tibi tuæque Reipublicæ quod imitere capias,

capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu,
quod vites. Ibi prudens invenit, unde sapien-
tior fiat, *Verba sunt Lipsii ex Cassiodoro*, ibi
bellator reperit, unde animi virtute robore-
tur, inde Princeps accipit, quemadmodum
populos sub æqualitate componat. Nec ali-
qua in mundo potest esse fortuna, quam lite-
rarum non augeat gloria notitia. Quis er-
go, de sententiâ P.R. Tacito de insigni erudi-
tione gratulabundô animô acclamantis, me-
lius quam literati, imperat? Literati, inquam,
quos tanti æstimavere maximi orbis Monar-
chæ ac Cæsares, ut utilissima ista crediderint,
momenta temporum, quæ vel literis vel earun-
dem cultoribus tribuissent. Magni illius,
quem modò nominabam, Macedonis in studia
amorem & liberalitatem Eruditorum experti
sunt non pauci, quibus statuas ponи publicas,
præprimis Aristoteles, cui aliquot una vice ta-
lenta in donum exhiberi, egregio ad posteri-
tatem exemplo, curavit. Majorem adhuc pe-
cuniæ vim Ptolomæus cognomine Philadel-
phus in conquirendis undique libris & ho-
minibus eruditis consumpsit. De Leone verò
Imperatore, de Robertô Siciliæ Rege, deque
Helvidio Prisco, *ex Tacito*, ut nihil nunc dicam;
Excellentiora hic accipite, & magis conspicua,
quæ in Germanis nostris cum gaudiô vobis

d

sum

sum exhibitus : Horum scilicet in literas &
honestiora ista studia ardentissimum animum
& desiderium inexplebare nulla non loquitur
historia ; Nisi Tacitum fortean male prudens
aliquis in contraria sentientem produceret,
qui Germanorum gentem somno ciboque de-
ditam describit, inertemque & literarum se-
creta ignorantem ; Sed vix ille Germaniae
nostrae extrema libaverat, dumque sua saltem
fastuosius mirabatur, cætera, ut exterus, ut Ita-
lus, omnia ignorabat aut negligebat : Fidem
mihi dabit, quicunque vel Germanos noverit,
vel historias eorum de primô tantummodo li-
mine salutaverit. De carminibus cantioni-
busque, quibus jam tum historias suas compo-
suisse ipse memorat Tacitus, nihil ut adferam,
fuerit vel maxime, ignorasse Germanos literas,
quod tamen, melius edocti, in Gentis oppro-
brium minimè concedimus , Quid ab Evan-
dri temporibus in hanc ætatem exempla tra-
henda ? Mutatione enim hominum mutata
est indoles nostra, adeò quidem, ut à Caroli
Magni temporibus non modo literatam sed
literatissimam fuisse Germaniam nemo sit qui
non perspiciat . *uni* Ipse ille, quem Germanum,
quem Nostratem æstimamus, Carolus, litera-
rum non solum amantissimus sed & studiosissi-
mus, collegia assidue frequentavit, examinibus
studio-

studiosorum industriose interfuit, & multa
lectu omnino dignissima ipse edidit. Sic
Fridericus nominis hujus secundus lectioni a-
deò fuit deditus, ut non modò cognomen inde
sibi acquisiverit, sed & præter Germanicam,
Latinæ, Græcæ, Gallicæ, Saracenæque & scien-
tiarum ferè omnium fuerit peritisimus; Quin
idem ille artium nostrarum adeò justus æsti-
mator nec regi recte populum absque litera-
rum virtutumque adjumentis posse, dexterri-
mè judicavit. Habebat nimurum militantem
secum ipsam Sacratiorum Codicum fidem, qui
sapientem demum Regem stabilimentum po-
puli vocant.; Indubitatumque cœlestis amo-
ris in Israelitas indicium, per ora Hierami Ara-
biæque Reginæ pronunciant, à Salamone i. e.
Sapientissimô Rege gubernari. Si Caroli
Quarti vobis historia placet, *Auditores*, tan-
tus ei in hæc studia fervor fuit, ut per aliquot
sæpiusculè horas Eruditorum disputationibus
interfuerit, & cum cœnæ quandoque tempus
instare ab Aulicis moneretur, hæc sibi exerci-
tia longè gratiora esse dixerit, quam omnis in
cœnam quamvis splendidissimam apparatus.
Nec absimilem in literas & literarum Professo-
res exhibuit affectum Carolus ejus nominis
V. quamvis enim perfectè doctus ipse non
fuerit, tener siquidem adhuc statim Imperii
magni-

magnitudine à studiis abducebatur, res tamen literarias, ubi ubi potuit, flagrantissimè permovit, & doctos omnes animitus dilexit. Ut non spernendas virtutis scintillas in eô agnosceres, ad virtutis lumina accendi. Quid fratrem ejus Ferdinandum, quid Ferdinandos cæteros, quid Maximilianos, quid Rudolphos memorarem? omnes tam egregiè de literis sentientes, ut Patroni earum & Beneficatores maximi extiterint, qui modò alumni fuerant. Sed obruor multitudine *Auditores*, & quo magis obruor, eo magis felicitatem Germaniæ agnoscō, quæ reliquias tanti Imperii membris, Principibus puto, Nobilibus & quibuscumque bonæ mentis & indolis juvenibus, illustria talia in ipsis Imperatorib⁹ gloriose imitanda exempla feliciter exhibit. Verò profectò verius est, arcta quadam catenâ devincti sumus qui imperamur cum Imperante; Et ut in corpore mens sana aut insana esse non potest, nisi ut pariter langueant aut vigeant ejus actiones, ita Princeps in hac societate communi. Ad virtutem ille præxit, sequimur. Ad vitia? inclinamus. Benè beatèque agit? floremus. Improsperè? labimur & ruimus cum illô. Ergo felicissima Germania, in cuius provincias omnes & tantorum Imperatorum aulas, indefessus ille Musarum amor diffusus est. Quis
Johan-

Johannem Megapolitanum Dūcem xx. annos
studiorum gratia Lutetiæ commoratum non
legit? nec ante discessurum, quam publicè
S. Theologiæ Doctor renunciaretur. Quis
Lotharingiæ Ducem Richwinum Argentinæ?
Quis Hassiæ Landgravium Hermannum Pragę,
publicis Cæsaris & Professorum votis, Philo-
phiæ Magistros creatos ignorat? Quos secuti
postea melioris spei Candidati, tantâ diligentia
& contentione in Stadiō hoc Academicō per-
reverunt, ut in Cœnobiō Fuldensi sub Sturinō
Abbate sexcenti simul nobilissimorum Equi-
tum filii literis incubuerint, sola etiam aliquan-
dò Academia Pragensis XLIV. Studiosorum
millia eodem anno & tempore numeraverit.
E quibus omnino concludo; Neminem fore
tam injustum rerum æstimatorem, qui non vir-
tutes exinde MINERVÆ & PALLADIS divi-
nitatem agnoscat; Coelestiusque aliquod
Numen per illam indigetari, quod tantō in di-
sciplinas has liberaliores ardore & Cæsarum,
& Regum, & Principum, & omnium omnino
nobilissimas mentes in publicum bonum in-
flammavit; Rectissimè sensisse videtur Æneas
Sylvius, qui voluit in plebeis argentum illas
esse, in Nobilioribus aurum, in Principibus ve-
rò prætiosissimas gemmas. Nec his modō li-
brorum cancellis felicitas PALLADIS nostræ

e

de-

describitur, *Auditores*, Virilis est, & masculos exhibet pueros Tritogenea ista Diva. i.e. Arma tractat, Ægidem monstrat, galeam ostendit, hastam porrigit, ;

Arma viri, ferte arma.

Nec horrida verò ista aut barbara, sed qualia è cerebrô Jovis, nobilissimâ rationis sede, progressa PALLAS exhibebit, prudentiâ scilicet, & sanioribus consiliis temperata. Quæ decus erunt stabilitamentumque Imperii, Utilissima pacis publicæque tranquillitatis instrumenta, in quorum sæpius admirabilem tractationem fortissimorum Heroum manus ipse Deus benignissimè instruxit, ut exemplô Jofuæ, Moysis & aliorum abundè didicimus. Patria, *inquit Romanæ eloquentie Paren*s, & ex eô informatus Bodinus, libertas, cives, atque ipsi adeo Reges in tutelâ præsidiôque & sub clypeô armorum securè latitant. Quod cum non lateret fortissimum Thebanorum Imperatorem, Epaminondam, quidam vero ex aliis ea penitus improbaret, ; fallis tu equidem, egregiè respondit, cives meos, dum ab armorum studiô eos avocas & nescis non nisi ex illis publicam felicitatem parari. Sic Romanæ militiæ artifex Tullius Hostilius, cui in honorem virtutis, *ut Florus inquit*, regnum ultro dabatur, Romanis suis quam fuerit necessarius, nemo, opinor,

opinor, erit qui non observayerit, ; dum enim
omnem militarem disciplinam, artemque bel-
landi, primus in Martiā gente condidit, ejus
postea adminiculis adeo robusta ac vegeta fuit
reddita, ut Europam, Asiam, Africam, totum
denique Orbem terrarum bellis victoriisque
peragraverit. Nec aliis in gentibus defunt
exempla; Quid si enim veteres excutiamus
memorias & singulorum imperiorum indage-
mus natales? facile reperiemus, pleraque re-
gna non alias causas nec alias fortita fuisse ori-
gines, quam quod virtute & artibus bellicis
fuerint acquisita, deque gente in gentem tran-
flata. Quis quæso vel Nino animosior? cui cum
Assyriaco Babylonicum regnum conjungenti
proxima quæque victoria instrumentum se-
quentis erat, referente Justinō. Vel Cyro in de-
bellandis Medis & Persis alacrior? Quis Alex-
andro Græcorum fortior? cujus victricibus
armis duodecim annorum spatiō universa suc-
cubuit Asia & totus Oriens. Sed externa
hæc sunt & nemini non nota: Nec lubet mo-
destiam Vestram istis morari; Accedamus, ut
brevibus me expediam, Germanos, Inspicia-
mus Cimbros nostros, inter quos Patrium
nobis solum, & Patrii Lares. Gentes ibi re-
peries, quisquis fueris, *Tacito teste*, non nisi bel-
lō & armis lætas. Quibus scutum in acie reli-
quissē

quisse opprobrium; Gentes, inquam, inter
quas turpe Principi, virtute vinci: turpe co-
mitatui, virtutem Principis non adæquare.
Imo infame in omnem vitam ac probrosum,
superstitem Principi suo ex acie receffisse: de-
fendere verò eundem tuerique præcipuum
sacramentum. Quali invicto animi robore,
Ex Tacito ut abhuc referam, Carbonem & Cæ-
siuum & Scaurum Aurelium & Servilium Ce-
pionem, Magnum quoque Manlium fuderunt
vel ceperunt.: Quinque etiam simul confu-
lares Exercitus P.R. Varum præterea tres-
que cum eò Legiones Augusto abstulerunt,
à Romanis verò nunquam impune perculsi;
adeò *Auditores nulli armis ante Germanos sunt:*
Martiis scilicet his studiis non aliter deditos o-
lim, ac si armati Paradysum intrare debuissent,
quos Galli absentes, velut si coram adeissent,
horreabant & ad solum sæpiusculè nomen ad-
ventare Germanos, non sine suspiciis & trepidi-
ngeminabant. Nec miror animosum Ario-
visti responsum, quod Cæsari, legatos ad eum
de Gallorum injuriis sibi non negligendis mit-
tent, referri jussit, *cujus ipse Cæsar in commenta-
riis suis annotator ingenuus*; congrederetur cum
vellet, intellecturum quid invicti Germani,
exercitatissimi in armis, qui intra annos qua-
tuordecim tectum non subjissent, virtute pos-
sent?

sent. Virtus quæ nec in seris adhuc Patrum ne-
potibus unquam degeneravit ; Hi enim non
contenti veteri illâ militiæ laude, quâ Martium
Decus Romanis, gentium victoribus, eri-
puerant, nisi & ipsum Imperii splendorem, &
summæ Monarchiæ ornamenta in se suamque
gentem transferrent, Aquilasque istas, nunc
planè Germanas, stabili invictoque in omne
ævum animo ita tuerentur, ut Imperiô istô,
Thuano affirmante, nullum robustius corpus
aut hodie sit, aut olim fuisse homines memine-
rint. Sed Boream nunc accedite, & mecum
memoriâ recolite, quid non de Gothis, de
Wandalis, de Cimbris, gente gloriâ certè in-
genti, ut *Taciti verbis denuo utar*, historia lo-
quatur. Septentrionales isti sunt, Dani, Dani
sunt, xxvii. seculorū Imperio celebres, Nostri,
inquam, sunt, *Auditores*, Quibus non suffecerit
repulsisse modò invicta alias Romanorum ar-
ma, nisi & sua inferrent, Alpibusque superatis,
in suis sedibus illos adorirentur, & Romam, ur-
bem alioquin æternam *ex mente Taciti*, vinci
posse docerent. Æstimate exinde, si placet,
quicunque benevolo aurium obsequiô adeptis, quæ
fuerit sub Arcto nostrâ fortitudo, quod gen-
tis hujus in militaria illa PALLADIS exercitia
studium, quæ armorum denique gloria ? quâ,
veluti flammâ in altum, supra omnia laudum

famæ alis felicissimè evolavit. Frothonem,
inter Danorum Reges Magni agnomine do-
natum, quis intuebitur nec admirabitur? Se-
quebantur eum, si *Septentrionalium historiarum*
parenti Saxoni Grammatico credimus, triginta
Reges, amicitiâ illi vel obsequiô conjuncti.
Nec inter hos modò honorum apices quievit,
quin potius viginti adhuc alia regna suo adie-
cit, Hunnisque, quod admirationem omnino
explet, victis fugatisque, septuaginta & cen-
tum Reges, qui aut ex illis erant, aut sub illo-
rum signis militaverant, sibi submisit: Cujus
nimirum potentia ab ortu Rusiam comple-
ctens ad occasum Rheni fluvio fuit terminata.
Et latius hic quidem hocce Danorum Impe-
rium in Livoniam, Curlandiam, Æstoniam,,
Prussiam, Poloniā, ipsam denique Tartariam
ad Paludem usque Mæoticam extensem dedu-
cerem, nisi jam uberioris hæc à vobis cognita sci-
rem, quam ut ex me armorum vestrorum vir-
tutem audiretis. Fxit modò Altissimus, cui
curæ sumus & cordi, ut felicissimè illa nunc
tandem reviviscat, & ex cineribus suis, in opti-
mi Regis regnique gloriam & emolumentum,
denuō resurgat qualis antea fuit! Quis Ru-
sciam octies, Angliam decies, Hiberniam,
octodecies, Scotiam semel, Saxoniam quin-
decies, Sclaviam vigefies & quater, Nor-
wagiam

wagiam bis & tricies, Ipsam denique Sveciam
ac Gothiā octodecies victoriis Vestris cessisse,
honorique Vestro cladibus suorum litasse,
ignorat? Verum Panegyricō opus erit, &
justō Annalium volumine, ut pro dignitate ea
tractentur singula, quæ Orationis jam meæ
temporisque angustia non admittit, id tamen
abunde satis perspicimus, in quod felicitatis &
famæ fastigium gentes, populi, Reges deni-
que ipsi & Principes, armorum virtute & ope
ascendere, locumque inter astra occupatum,
constantissimè tueri possint. Non certè
rexisset neque duplicasset Romanum Impe-
rium Tullus Hostilius, cuius incunabula agre-
ste Tugurium ceperat, adolescentia in pascen-
dō pecore occupata fuerat, nisi armorum vir-
tute inter cæteros eminuisseſet. Tarquinius
alienus erat, Corinthô ortus, Demaratô
mercatore & exule quidem genitus, sed cly-
peus in salutem urbis assumpitus, industrio-
sum brevi pro ignominioso, pro inviso glo-
riosum reddidit. Justinum Imperatoriis
ornamentis fortuna vix decorasset, nisi ex
subulcō, mox fabrō, quem agebat, lignariō,
Miles factus, per varios honorum gradus tan-
tō se fastigiō dignum reddidisset. Et quis
omnia, quæ præsto sunt Historiarum indaga-
tori exempla, per temporis angustiam expli-
cabit?

cabit? Quis quæso Fabios, quis Metellos,
quis Scipiones, quis numerō denique infinitos
alios, etiam nostrorum seculorum, horoas lo-
queretur, nisi fortuna auspice & comite virtu-
te in omne belli negotium ducti viam sibi ad
gloriam per laurus stratum aperuissent? Quo-
rum exemplō hodienum omnes sub Telema-
chi Personā ad virtutem exhortatur, & quidem
Mentoris specie Homerica PALLAS.

Tuq, age (quando te video magnumq, bonumq,) Strenuus esto, ut Tete & postera prædicet et as.
O igitur supra omnem æstimationem positam
MINERVÆ hastam! O Divina PALLADIS ar-
ma! ad omnia in Togâ fagoque dextre o-
beunda felicissima media: Deo accepta, Pa-
triæ fructifera, masculis animis decora, im-
mortalitatis denique non ingloriæ indubia in-
strumenta! PALLADEM accedat, ejus vesti-
gia, per quæ orationem meam hactenus duxi,
gnaviter insitat, quicunque non degener
Mundi incola Deo, Patriæ, Parentibus, Ami-
cis, sibi denique ipsi ortus sui partem deberi,
Cicerone Magistrō, & didicit & optat. Sic
svavissimo literarum armorumque consortio
omnium gloria parta, aucta & confirmata in
æviternum durabit. De Julio Cæsare Histo-
riæ docent, non aliter eum pingi voluisse, nisi
Globo Mundi insistentem, & alterâ quidem,

manu

manu gladium, alterâ librum tenentem, hâc ad-
ditâ Epigraphæ : *Ex utroque Cæsar* ; Diem
enim armis, noctem libris & conscribendis re-
rum ab se gestarum commentariis industriosè
impendit ; Alexandrum forte Macedonem
avidè imitatus, qui omne suum tempus inter
arma & Homerum prudentiorumque, quales
Gymnosophistæ erant, disputationes æquali-
ter divisit, illis diem, his noctem, prandendi
etiam cænandiique horas utrisque tribuens.
Sed quid libri inter arma, aut inter milites Phi-
losophi proderunt ? Multum profectò, si
recte ponatur calculus. Armata quidcm
PALLAS prodiit ; Sed ex cerebro prodiit :
Ex cerebro inquam Jovis, ubi rationis nobis-
sima sedes ; Ratione ergo & consilio gubernari
desiderat : Et sapienter Romani fecisse
videnter, quos Musarum ædem Herculi strux-
isse antiquitas refert, Musagetem eum cre-
diderunt, id est, Comitem Ducemque Musa-
rum, quarum novena postea signa sub fortissi-
mi Numinis tutelâ consecrarunt, ut mutuis
quasi operis & præmiis juvari ornarique debe-
rent, Musarum quietem defensione Herculis,
Virtutem verò Herculis voce Musarum.
Conjuncta eminent ; disjuncta ruunt. Ar-
ragonie Rex Alfonsus cum Livianam Hi-
storiam semper haberet comitem, & ab ami-

cis interrogaretur, libris an armis prærogati-
vam decerneret, utrisque sapienter in isto
gradu conjunctis, ex libris se armorum jura
didicisse respondit; Ad exemplum omnino
Romani consulis L. Luculli, quem Româ rei
militaris ignarum & penè rudem profectum,
cum totum iter & navigationem libris legen-
dis, & Doctorum disputationibus consumpsis-
set, tantum evasisse Imperatorem *annotat Ciceron*, ut Mithridates, Regum post Alexandrum
Maximus, quem in Ponto vicit, eum majorem
Ducem, quam quemquam eorum quos legis-
set aut vidisset, à se cogitum fateretur. Sci-
licet ut generosum hinnulum non domant.
fræna, sed potius irritant, nisi experta, singu-
losque ad motus intenta hyppocomi manus
accesserit; Ita nullatenus Respublica, nisi u-
triusque adjumentô, firmô poterit consistere
talô. Hæc bini isti infractique Atlantis hu-
meri sunt, quibus ceu Marmoreis fundamen-
tis firmioribus, stupenda illa mundi moles se-
curissime incumbit. Fœdissimô itaque &
pessimô usu inter nonnullos invaluisse opinor,
ut qui arma tractant bellisque exercen-
tur literas ignorent, aut homines togati &
Musis dediti armis abstineant. Pompejos,
Scipiones, Metellos, postquam in senatu con-
senuerant, legionibus olim præpositos, infu-
lisque

lisque magistraturæ gloriose implicitas ex vi-
ctoriâ laurus, quis est qui non cognoverit? Geminum fingeant Majores nostri Mercurium, Juvenem & Senem, ut fortem scilicet & prudentem Principem esse debere innuerent. Fidem hujus sententiæ manifestissimam ex ipsis Carthaginensium rebus licebit sumere, qui ex Xantippô didicere, *Nequaquam Romanos esse*, ut Polybii verba mea faciam, *qui Carthaginenses viciissent*: *Verum Ipsos à se Ipsis Ductorum Imperitia fuisse victos.* Unus enim ille Vir & consilium unum legiones, quæ propter solertiam ac præstantiam in re militari vinci non posse credebantur, delevit: *Civitatem vero illam, quam penitus concidisse palam erat, militumque animos, qui ex desperatione ipsum quoque doloris sensum amiserant, recreavit atque erexit.* Ad trabem juxta amussim planandam non sufficit sola asciæ acies, nisi experta artificis manus in asciando eam dirigat. Ita inter studia artesque Militares tanta esse necessitudo videtur, ut disjungi sine piaculo nequaquam possint. Quo inter cæteros respexisse Augustissimum Juris Romani Restauratorem *Justinianum* quis dudabit? cum in has voces, ad immortale prudentiæ exemplum, *Elementa Juris* istius orditur: Imperatoriam Majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse

esse armatam : Ut utrumque tempus, & bellorum & Pacis , recte possit gubernari : & Princeps Romanus non solum in hostilibus præliis victor existat, sed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat : Ubi non solum elegantissima vocabulorum conjunctione, sed & Epithetorum commixtione, dum armis ea tribuit quæ legum sunt, Legibus vero quæ armis convenient, egregiè ostendit ; Quantum unum alterius opera & auxilio, ut Respublica salutariter sustentetur & gubernetur, egeat . Tantorum ergo Imperatorum authoritati dabitis, *Auditores*, Literas & arma, Calatum & Clypeum, Pennam & Bipennem , Stylum & Pilum , Togam & Sagum, Ingenium & Industriam, angulares istos lapides esse, ad quos componenda præprimis omnia, quæcunque in optatâ debeant constare perpetuitate . De Scipione Nasicâ refert *Vellejus Paterculus*, quod, cum ob virtutes singulares primus omnium absens Pontifex Maximus factus esset, ex superiori Capitolii parte adhortatus fuerit populum : Qui salvam vellet Rempublicam, se sequerentur ; Nescio an idem de PALLADE nostra nunc dicam ? Secutus eam quisquis unquam vir optimus haberi, & Patriam salvam esse optavit . Quemadmodum verò nascentes arborum ramunculi
agri-

agricolæ facilè obsequuntur, cuius ductu vel
in altum enituntur, vel in terram proni defle-
ctunt, ita mortalium etiam animis, à cunabulis
præprimis, antiquò præaltôque affectu insi-
nuanda esse, quæ certa & in securam ætatem
mansurâ imagine ad senium usque deducant,
optimè intellexerunt illi Principes, qui de Sa-
lute Publicâ solliciti, non ipsi modo sæpius
laudatis M I N E R V Æ studiis animum mentem-
que manciparunt, sed civium etiam suorum &
subiectorum animos à primâ statim infantâ
in ultimos usque annos iis imbui summâ ala-
critate tentarunt. Adest in ipsis Sacris exem-
plum Nabuchodonosoris, qui laudabili pro-
positô Regiam in Metropoli suâ instituerat,
Academiam, ubi Adolescentes omnes in scien-
tiis, artibus & disciplinis omnibus liberaliter
instituerentur, quibus Magistros in omni ar-
tium genere versatissimos singulari studiô pre-
fecit, iisque de omnibus ad vitam vietumque
necessariis Regiâ munificentia prospexit.
Profanos si revolvimus annales, Lacedæmo-
niorum, qui post varios fortunæ casus optimi
fuere juventutis moderatores, institutum quis
est qui ignoret? Adolescentes isti & in Scho-
lis institui & variis etiam corporis exercitiis,
ut cursu, vel jactu, vel lucta, vel pugillari cer-

h

tami-

tamine exerceri voluerunt, ut sic exercitati ad
magistratum munia & singulos vitæ civilis a-
ctus tam togâ quam sagô essent aptissimi, horū
vestigia prudenter pressisse Macedones *apud*
Curtium legi, qui selecta quævis ingenia, domi
prius liberalioribus studiis à teneris imbuta, in
res etiam postea militares optimè formari in
publicō curaverunt ; Quæ Cohors velut semi-
narium Ducum Præfectorumque apud Ma-
cedonas fuit, unde posteri habuere Reges,
quorum stirpi post multas ætates Romani o-
pes ademerunt. Quid de ipsis fidei nostræ
hostibus Mahumetanis memorem, ? qui in
tantâ & tam foedâ mentis caligine tamen in
tantum sapiunt, ut diversa variis in locis con-
stituta habeant seminaria, in quibus innume-
ros tam Christianæ quam suæ gentis juvenes
publicō sumptu educari & à pueritiâ institui
curant, pacis mox bellique futuros admini-
stros. Sed quid tam deformibus utimur co-
piis ? aut quid manipulos nostros servus de-
format, ? Horreo istud Turcarum nomen,
licet exemplum laudem.. Attendite modò,
Auditores, & avidis nunc auribus gratiora ex
me, si placet, accipite, ; Domesticæ, quæso,
experienciarum fidem inspicite, & pari felicitate
Vobiscum Reges invenietis, qui in subsidia
nostra

nostra se se accingunt; Quantienim illi hæc
PALLADIS nostræ studia fecerint, SORA
nostra abundè testabitur. SORA inquam,
ubi indubitatum illud *Palladium*, Pacis scilicet
felicitatisque publicæ documenta & instru-
menta Boreales nostri Monarchæ religiose
colenda deposuerunt. Satius nimirum esse
existimantes, ut Musis locus iste & liberaliori-
bus exercitiis tribueretur, quam ut ignavis
Monachorum oscitationibus & fordescendenti-
bus, quibus ante nobilitabatur, voluptatibus
relinqueretur. Quâ de causâ Beatissimus
Rex FRIDERICUS, nominis hujus SEC-
UNDUS, Regiam Fridericoburgi primo à se
in Nobilium juvenum commodum institutam
Scholam in nostrum hocce hospitium pru-
dentissimè transtulit; Mox tanti Parentis di-
gnissimus planè filius CHRISTIANUS IV.
gloriofissimæ memoriæ, pari pietate ductus &
majorem Gymnasio huic autoritatem con-
ciliaturus, Publicos addidit Professores, va-
riosque Eqvestrium exercitorum celeberrimi-
mos Magistros, qui non plebeji modo & Eqve-
stris ordinis juventutem, sed Principes etiam
& Regum filios variis artibus, disciplinis, lin-
guis, bellicisque studiis in insigne Patriæ com-
modum industriosissime imbuerent, ut tanto
feli-

felicius inde Rectores & Rerumpublicarum
Administratos Orbis sibi Christianus imposte-
rum caperet. Nec Tuus in Paternam hanc &
Avitam pietatem flagrantissimus ardor, Opti-
me Regum F RIDERICE TERTIE, Rex
clementissime, Patrue benignissime, vel mini-
mum remisit, ; Qui Academiæ hujus Pater-
næ, si non primus alumnus, certè inter pri-
mos, in hanc futuræ gloriæ palæstram Illustri
Tuō exemplo non modò innumeros alleexisti,
sed hodienum adhuc non paucos Regiō planè
& egregiō favore liberalissimè hicce foves, to-
tamque Academiam muneribus variis ac privi-
legiis cultiorem indies ornatioremq; ac cele-
briorem ita reddis, ut totius Academiæ, imo
totius orbis bonô non difficulter discamus ;
Quantum Musis regnum sit & quanta etiam
Armorum studiis gloria in Daniâ. De quo-
rum gloriofissimâ & amicissimâ conjunctione
plura ad alias nunc dicerem, A. O. nisi diu
jam esset, quod mutuis istis Optimi Regis be-
neficiis cum iis coivissemus & PALLADIS no-
stræ decora supra omnem æstimationem po-
sita vel ex solâ nostrâ Alma SORANA didicisse-
mus. De Andalusiaæ suæ Metropoli Hispali
adeò sibi blandiuntur Hispani, ut non vidisse
miraculum, proverbio, existiment, quicunque
non

non viderit Hispalim, & si cui benè velint, fa-
stuose dicant; Faxit Deus ut Hispali victum
& amictum habeas : Quis verò bonus & in-
spem Patriæ genitus Juvenis idem in Dania
nostrâ de SORANA non judicabit Academiâ? aut,
si Patriæ & Publico olim prodeesse velit bono,
non avidissimis votis exoptabit? ut SORÆ vive-
re & institui queat: SORÆ, SORÆ, *Auditore*
res, ubi dulcissima mella avidissimâ manu con-
stipare conceditur, quibus, quæcunque dabi-
tur occasio, in Reipublicæ emolumentum uti
queamus; SORÆ, ubi parare permittitur cu-
jus nos fructus nunquam destituant quod-
que ab ipso usu majora quotidie incrementa
sumat. Plures heic Portæ & viæ, quam vel ipsa
Ægyptiorum olim numerabat Hecatomylon,
per quas ad honores & gloriam facillimus cui-
que conceditur exitus; Quis igitur hic non
subsisteret? Quis in tam illustri omnium libera-
liorum artium plantariô fructus sibi exquisi-
tissimos acquirere non expeteret? Requirit id
Patriæ Bonique Publici necessitas; Invitat eò
benignissimus Rex FRIDERICUS; Impel-
lit eo, quem avidè omnes ambimus, honor &
gloria; Auxiliatrices insuper manus tot do-
ctissimi perque omnes Europæ Provincias Ce-
leberrimi Viri industriosissime exhibent;


omnis denique Orbis MINERVAM Hospitii
nostrī inclamat. Et quamvis neminem non
Vestrūm, nisi meus me animus fallit, hæc assen-
tientem intuear. Ego tamen præprimis non
possum, quin gratâ pietate, quod privatim ha-
ctenus egi, publicè nunc etiam non minimam
certè felicitatis meæ partem agnoscam, quod
supremi Numinis & Optimi Regis plus quam
paternis beneficiis in celeberrimum hoc P A L-
LADIS templum admissus & per biennium
receptus fuerim, tales per omnia Magistros
ac Præceptores nactus, à quibus ea colligere li-
cuit, unde Deo, Regi & omnibus bonis debita
olim gratissimâ mente ac manu solvere, mihi
denique ipsi honorem, opes, famęque præco-
nia præstinare certissimè queam. At Plus Ul-
tra, nondum hic subsistere animus: Vos modò
mecum Generosissima MINERVÆ pignora sole-
que Virtuti devoti Juvenes movete cum PALLA-
DE manum & ut hactenus ita porrò in hoc M I-
N E R V Æ stadiō infractâ industriâ percurrite.
Brabæum nobis sine exceptione promittit ipsa
Virtus, promittunt omnes boni, si modò in
ipsô conamine non turpiter deficiamus aut
infeliciter consistamus. In Studiis me Vobis,
si Deus faverit, Socium, in Exercitiis Commili-
tonem & in Profectibus Comitem quam lu-
ben-

bentissimè fistam_. Vos verò interea *Magnifice Præses*, *Patresque Academicí*, *multis mihi nominibus honoratissimi ac dulcissimi*, *Auditores præterea quotquot adestis amicissimi*, benè vivite, feliciter succrescite & omnes modò mihi *Vestræ fidei*, *industriæ*, & *conversationi* concredito benevolentissimô vulnu
& animô constantissimè

F A V E T E.

D I X I.

REGIA



REGIÆ ET EQUESTRIS ACADEMIÆ SORANÆ

P R A E S E S

G E O R G I U S
ROSENKRANTZIUS

OLIGERI F. Kielgardi Dominus,

Givibus Academicis Salutem.

Se olet laudabilis ea esse mortaliū cura, ut quæ ingenti se commendant precio, aut elegantiore artificio grata, inter rariora ostentantur pretiosarum rerum momenta, pyxidibus & arculis diligenter inclusa, AR-CULO, ficto Veteribus arcarum Deo servanda tradant. Egregie eos Naturam ipsam imitari vides : quæ optima quæque solicite involvit, quasi subtrahat ; imo involvit, ne subtrahat : Sed majore diligentiorum industria evolvantur, quæ negligentibus, non sine gravidianno subtraherentur. Vilescit nimia copia nobile Vinum. Langvet in tanta fœcunditate vinearum cultor. Quæcumque enim ubivis obvia, vix quærenti sunt exposita, statim profecto contemnuntur, omnemque amittunt gratæ venustatis gloriam. Hoc nomi-

nomine sapiens antiquitas Ænigmata, Gryphos,
Hieroglyphica esse voluit, ut hominum acuerentur
ingenia, cum exercentur, & dum exercentur, una ad
majorem disçendi cupiditatem incitarentur, latentia-
que sub ejusmodi involucris sapientiae mysteria erue-
rentur. Sive enim cum Homero uxorem Anthe-
noris Theanam putas custodem PALLADII, sive
PALLADII statuam in arce summa constituis, sive,
cum Procopio, locum PALLADII ignoras, sive in
templo Fortunæ, aut Martis, cum Cedreno, PALLA-
DIUM invenis, sive PALLADIS statuam intueris
in manu Deæ Vestæ, instar vibrantis hastam, cum scu-
to & vitta, sive PALLADEM ex Iovis Cerebro natam
fingis, habes omnino, quod placeat, habes quod di-
scas. Si aurum, quo splendet PALLADIS galea, oculos
verberat, splendorem intellectus humani designa-
ri vides. Si gallum, cum Phidia, PALLADIS galeæ
imponis, industria ac impiger animus Minervæ ac
Martis cultori tacite commendatur. Si prælongam,
& ad nubes usque transcendentem, cum Claudio,
PALLADIS hastam fingis, vim prudentiæ, veramque
fortitudinis laudem in eo positam æstimas, non vano
terreri timore, sed indigna timere aut pati. O in-
gentia ac præclara PALLADIS decora ! O necassaria
Regibus, Principibus, Optimatibus, omnibusque aliis
belli ac pacis tempore PALLADIS arcana ! quæ non tan-
tum minorum gentium Quirites : Sed ipsos etiam
Heroes ac Heroum liberos rimari sedulo convenit,
ne dum PALLADIS se jactant cultores, PALLADIS SI-
MULACRUM ignorent'. Intueantur saepe illam litera-

k

rum

rum ac armorum præsidem PALLADEM, cuius SIMULACRUM
laudabili & singulari exemplo, in eximum Academ-
iæ nostræ ornamentum exhibere vobis constituit
Illustriss. ac Celsiss. Princeps, Dn. CHRISTIANUS
AUGUSTUS, Heres Norwegiæ, Dux Sleswici,
Holstiaæ, Stormariæ & Dithmariaæ, Comes in Olden-
burg & Delmenhorst, omni Virtutum genere, quæ
Principale fastigium ornant, conspicuus, rarum mode-
stiaæ exemplum. Licet enim nec Oedipus esse cupiat,
nec Sphingis Interpres, felicissimi tamen Interpretis
provinciam suscepit, ac egregie sustinebit, doctaque
& eleganti Oratione PALLADEM SORÆ sistet, hoc est,
celebre PALLADIS in ore populi nomen, cuius interior
Virtus in prudentiæ penetrali quæritur, in Aulis ac Cu-
riarum secretis saepè recondita, tam clara ac perspicua
proponet dictione, ut PALLADEM à multis ante, sed
male divisam, Musarum ac Armorum præsidem recte
intelligatis. Audietis ex omni historia, quam egre-
gie literarum studia ornent principes? Certe Thebani,
Virtutis bellicæ tantum studiosi, imperium cum ipso
neglectu literarum amisisse, teste Strabone, dicuntur.
Laudat proinde Græcia Themistocles, Epaminondas,
Pericles. Jactat Vespasianos, Diocletianos, Arcadios,
Antoninos Roma. Illustria sunt CAROLORUM,
MAXIMILIANI, FERDINANDI, RUDOLPHI
in Germania Imperatorum nomina. Ostentat, ut alios
taceamus, LUDOVICUM X II. Gallia, qui Iasoni
eximio Juris Doctori ad Collegium sinister adequi-
tans, affectum erga literatos hac Regia voce testatus
est: *Nunc Jason tuum Regnum incipit.* Ita voluit huma-
nissimus

nissimus Rex , ut Musarum sacris initiati regnarent
Veneratur & Dania nostra suos WALDEMAROS,
CHRISTIANOS, FRIDERICOS. Aestimat Sora-
na Academia Divum CHRISTIANUM IV, ac Be-
nignissimum Regem FRIDERICUM III. qui non
contenti bellica laude , ipsa etiam pacis ornamenta , li-
terarum studia Italiæ dormitanti ablata huc transtule-
runt, & verum PALLADIS domicilium constituerunt,
in quo ratio arma ac literas tractandi doceretur. Tam
nobile est literis cum armis commercium. Non omni-
no sanum ac pulchrum dices corpus humanum, quod
manibus est destitutum : nec integrum Reip : corpus
aestimabis, cui manum, hoc est, fortitudinem ademeris.
Qua fortitudinis gloria illustres fuisse intelligetis Go-
thos nostros, qui Martium decus Romanis gentium
Victoribus eripientes , Martem ipsum genuisse cre-
duntur, non flentem illum & saucium , quem stulta
Græculorum natio induxit, sed Martem Quirinum &
Vindicem. Hoc PALLADIS simulachrum sæpius co-
gitate, Nobiliss. juvenes, quibus ad altiora natis id se-
dulo agendum est , ne ad vos illud Aristophanis ac-
commodari possit: *Fuere quondam strenui Milesij*: vel
quod in Cleophanto degenere Themistoclis filio da-
mnat Plutarchus: *Optimus quidem eques, cetera vero iners.*
Quare exercitiis ita operam date , ut literarum studia
aestimetis. Nec tridentis Neptunum , nec remi nau-
tam , nec agricolam aratri pudet: neque Vos PAL-
LADIS pudeat. Excitet Vos honor Musis debitus.
Bene májores Solem præposuere Musis, quod illustri-
ores reddant sui Cultores. Excitent Vos tot Impe-
rato-

ratorum, Regum exempla. Excitet Vos illustrissimi
Oratoris craftini dignitas, ut si non vincere inscitiam,
salem non inultam sinatis, dum PALLADIS hic habi-
tantis studia colere enitimi. Excitet Vos tam splen-
didum Principis exemplum, ut precium historiæ po-
nere, ac de Eloquentia recte sentire discatis, quam sub
imagine Herculis catenam auream, cui adstantium au-
res adhærerent, ore tenentis, ac quo vellet trahentis,
non frustra coluerunt Veteres. Recitatibus Oratio
cras hora nona : Prospicimus adfuturos omnes, qui
PALLADEM æstiment, Gratias amant, pietatem in Re-
gem venerantur, Academiæ nostræ de tain grato Ho-
spite gratulantur, Illustre hoc tantæ profapiæ decus,
amplissimas ejus Virtutes, singularem industriam ac a-
morem erga literas, quem Academiæ huic per bien-
nium fere exhibuit Illustriss. Princeps, debita gratula-
tione venerantur, abeuntemque piis votis prolequuntur.
Bene valete. P. P. in Reg. & Eq. Acad. Sorana
die XX. Nov. M DC LVII.

Sub Academiæ Sigillo.

MINER.

C. B. D.

MINERVALIA SORANA

Seu

PLAUSUS VOTIVUS

**HONORI
ELOQUENTIAÆQUE AUGUSTÆ**

Illusterrimi Principis

D.N.

**CHRISTIANI
AUGUSTI,**

**HÆREDIS NORWEGIÆ,
SLESWICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ,
DITHMARSIÆQUE PRINCIPIS,
COMITIS IN OLDENBURG ET
DELMENHORST.**

SIMULACRUM PALLADIS

Publicâ Oratione

memoriter Illustrantis,

DATUS, DICATUSQUE.

S O R Æ.



VOD BÈNE EVENIAT!
LÆTA ADES,
SOLEMNESQUE ADORNA APPLAUSUS
SORA,
TUIS ROSA,
GRATULARE ET GAUDE.
AUDI ET LAUDA.
ORATOR ACCEDIT,
SIVE NOVITATIS GRATIA PLACET,
TIBI ADHUC NOVUS EST;
SIVE DIGNITATIS PRÆCELENTIAM EXPETIS,
ILLUSTRISSIMUS EST.
LAUREATIS PRÆCEDANT SERTIS
VOTISVE **OMNIUM** CONCINENTIBUS
PÆANA CANANT,
LÆTITIÆ NOSTRÆ SOCII,
MUSÆ SORANÆ,
PRINCIPI
ILLUSTRISSIMO, CELSISSIMO,
OMINE UT NOMINE
FELICISSIMO
CHRISTIANO
AUGUSTO.

REGUM
SANGUINI ET CONSANGUINEO.
QUI

F R I D E R I C O
T E R T I O

REGI DANORUM
PIO, INCLYTO, MAGNANIMO,
DUBIUM LIBERALITATE MAJORI, AN DIGNITATE
MELIORI,
UBIQUE SUMMO,
IN AMORE,
PARTIM NATIVITATE, PARTIM VIRTUTE;
ISTA MELIOR,ILLA FELICIOR,
FAVENTISSIMAM REGALIS MUNIFICENTIAE
FORTUNAM
GENEROSA INDOLE SECUTUS,
UT CITIUS METAM ATTINGERET,
EXULTIS ANIMI DOTIBUS
IN NOVUM GLORIÆ THEATRUM NON INGLORIE
PRODIT.

T I T U L O S Q U E

ALIENOS ANTEA
NUNC PROPRIOS SIBI
REDDIT

P I E T A T E E T I N D U S T R I A.

ID TESTARE ET MIRARE

REGIA ET EQUESTRIS DANORUM MINERVA,
FELICISSIMA STUDIORUM MAGISTRA,
FOECUNDA ARTIUM MATER,

S O R A;

QUÆ
INTER PRIVATOS ANTEA LARES SOLERTER
INSTRUCTUM
PUBLICIS TUIS AMPLEXIBUS
EX REGIO FAVORE
SUB AUSPICIO
OPTIMI TIBIQUE SINCERA FIDE FAVENTISSIMI

PRÆSIDIS
**DN. GEORGII ROSEN.
KRANTZII, &c.**

LÆTABUNDA EXCEPISTI,
PERQUE BIENNIA ADHUC,
VERE DICIMUS,

ITA
**SCIENTIIS INSTRUXISTI
ARMIS IMBUISTI**

UT
RARO EXEMPLIO
INTER ARDENTIA GRATULANTUM STUDIA
FAVENTUMQUE FERVENTISSIMOS PLAUSUS

PUBLICE NUNC
NON TREPIDE NEC INDECENTER,
SED PULCHRE, SED INGENIOSE, SED DISERTE
OCULIS ET AURIBVS

SE SISTAT
**OMNIUM,
QVO OMNIBVS PROBARETVR,
OMNIVM STVDIA TRAHERET,
QVÆ OMNIA MERETVR**

**VIRTUS.
HANC QVI HABET OMNIA HABET!**

ERGO
HAC PRÆEUNTE
IPSE VOLENS FACILISQUE SUBSECUTUS,
EX MUSÆO IN AUDITORIUM,
EX ORCHESTRA IN PALÆSTRAM,
EX SUBSELLIIS IN CATHEDRAM,
EX UMBRA IN LUCEM,
PER ASPERA DENIQUE AD ASTRA,

FELICI IMPETU,
ET MAGNO CUM NISU,

IPSE JAM

M A G N U S :

MINERVÆ EQVE SEMEL INITIATUS SACRIS,
MANIFESTO QVODAM OMINE,

AN NOMINE DICAM?
DICENDI DISCENDIQVE ALACRITATE
FUTURUS OLIM,

DEO BENEDICENTE,
ARTE ET MARTE,
LITERIS ET ARMIS,
STYLO ET PILO,
PENNA ET BIPENNI,
TOGA ET SAGO,

M A X I M U S :

PLUS INDIES ULTRA,

FAUSTE AC FELICITER PERGIT;

NEC EXSPECTATO ANNORUM CURSU IN
FESTINATIONE VIRTUTIS

LÆTUM ISTUD ET OPTABILE OMNIBUS RELINQUIT

SEQVIMINI!

QVI AMAT VIRTUTEM, SIC AGIT;

QVI AMAT GRORIAM, SIC AGIT;

MACTE, O MACTE HAC COELI INDULGENTIA!
INUSITATUM VIRTUTIS EXEMPLUM,

C E L S I S S I M E P R I N C E P S ;

TALI EXEMPLIO

ILLUSTRIS,

TALI VIRTUTE

ILLUSTRIOR,

E X U T R O Q U E ,

CREDE TIBI, CREDE NOBIS, OMNIBUS CREDE,

ILLUSTRISSIMUS.

ITA IN ANIMIS HOMINUM,

ÆTERNITATE RERUM,

ET

FAMA SECULI,

MANSURIS NOMINIBUS,

QVOD ÆQVM EST, QVOD JUSTUM EST,

FELICITER TANDEM GRANDESCES.

HÆC EVENTURA PRECAMUR!

D E U S T E S R V E T !

P E R P E T U E T T E D E U S !

NOMINI TUO, VIRTUTI TUÆ, INDUSTRIÆ TUÆ;

HINC CONJICIMVS, QVALIS FUTURUS SIS.

TU FACIES,

VERA FUISSÉ VOTA OMNIUM AC RATA,

C H R I S T I A N E
A U G U S T E

DEUS TE SERVET!

ITA CREDIMUS, ITA SENTIMUS, ITA SUBSCRIBIMVS,

PUBLICA VOCE,

LÆTI LVBENTESQUE

O M N E S . O M N E S .

PRINCIPIS is labor est, hi celsi pectoris ausus,
Talis adorandum Purpura spondet ebur!
PALLADA MAVOR TEM q; colis: quod dextera librō
Indicat & gladiō leva videnda simul.
Hinc duo condecorant geminō Te sole triumphi,
Tantum dum pretium PALLADIS esse doces.
Bella legis, sed nulla cupis, turmasq; Qviritum.
Volvis, ut augustis profis ubiq; modis.
Sic benē qui didicit, minus haud benē militat idem.
Illi⁹ angustum culmen & hujus apex.
Patria sic MUSAS, sic dīcat & optima MARTEM,
PALADIS EGREGIE CECI SIMULACRA REFERS,
Qveis tectum Bellona sibi, sed & atria Phoebus
Occupat, & Clarios fortis Ulysses amat.
Sic CHRISTIANE AUGUSTE places! sic Numine plenum
Non moritura Tibi gloria pandit iter.
Sceptrigeris illustris avis, illustrior arte,
Quā rarum, Astræā judice, nomen habes.
Blande T O G A, metuende S A G O, dum PALLADA M A R T I
Concordem sociam jungis amore gravi.
Dux mitis, dilectè S O R A, quæ M E N T I S H O N O R E S
Ostendet terris omnibus inde T U A.

A. N. S.

Qvð

NoVVs & DIsertVs Orator ChrlstanVs AVgVftVs
HoLsatIæ PrInCeps In pVbLICa Sorani Athene
næI pVLpta gLorIose asCenDIc.

Ita Oratorem Celissimum, Dominum
suum gratiosissimum, devotæ
manu ac mente adorabat

ADOLPHUS JOHANNES
AB HOLSTEN.



